ERYCI PVTEANI

# DE ERYCIO NOMINE

# Syntagma.

*Item*

IVLI PARIDIS

# DE NOMINIBVS EPITOME.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE



HANOVIÆ

Typis Wechelianis apud Claudium Marnium & heredes Io. Aubrii.

MDCVI.

*Perilluſtri Viro*

# OCTAVIANO GHILINO,

## PATRICIO ET I. C. *Alexandrino.*

TVo Nomini ſacrum eſſe Nomē meum cupio, OCTAVIANE GHILINE, auguſto Nomini anguſtū Nomē: & ſic Virtutis tuæ, Doctrinæ, Humanitatis tergeminæ aræ vota appendere Amoris, Obſequii, Cultus. Appendere? imò exſoluere, Amorem Humanitati, Obſequiū Doctrinæ, Cultum Virtuti. Singula quid laborioſo verborum remigio ad Famam propello? ſuâ ſponte iuerunt, peruenerūt: & in ore ciuium tuorū magnis titulis glorioſus es; in libris ſcripti que immortalis. Inſigne præmium, & à Deo ipſo deſtinatum! Nam vt à felici & perenni fonte lympha ſcaturiens, grato ſe murmure, flexuꝗ

ſinuoſo, iungi flumini, & prono curſu fertur in mare: ita opera, quæ à fœcundo & heroico animo fluunt, miſcentur Famæ, &, nequidquam reflantibus Inuidiæ ventis, in æthera properāt & æternitatem. Tu verò quàm luculēter triplici iſto radio reſplendes, Virtutis, Doctrinæ, Humanitatis! vt mihi iam quidem videare in exemplum potiùs pulcherrimæ Triadis, quàm encomium vocandus. Plures te pleno liberoq; adfectu laudant: vtinam imitētur! Lætior profectò tranquilliorq; vetus illa Muſa, firmior ſaniorq; Iuſtitia felicior Reſpublica ſit. nunc morbo æui & culpâ, hæc laborat, illa languet, iſta perit. Etiam ingemiſco? nefas: corrigi & laborantis, & languentis, & pereuntis fatum poteſt, cùm te video; ſic procliuem Virtutis ſtudio in Rempublicā, Doctrinæ in Iuſtitiam, Humanitatis in Muſam. Etenim, vt ſtilo adfectuiq; parumper indulgeam, & Virtuti litem, acta & excelſa voluis animo, promis ore, cum Pindaro dicam,

* Decerpis quidē apices omnium virtutum.

*—— δρέπων μὲν
κορυφὰς ἀρετᾶν ἄπο πασᾶν.

Iam verò, quia cœpi, & Doctrina breues veræ laudis notas accipiat. Cū Themide,

*---tibi Pieriæ tenero ſub pectore curæ,*
*Et pudor, & docti legem ſibi dicere mores.*
*Tunc hilaris probitas, & frons tranquilla, nitorq́;.*

Iungat ſe Humanitas, ſororq; Pietas, illud Virtutis & Doctrinæ ornamentū, an fundamentum? & admirationem incutiat impio, & inhumano æuo. Humanitas,

*---- Pietasq́; per omnes*
*Diſpenſata domos.*

Hinc (ò virum Crœſi Craſſiq; diuitiis dignum, ſceptriſq; Regum!) Muſis, Muſarúmque Myſtis

*------------ aperti*
*Stant ſine fraude Lares;*

vt è publico ſæuientium morum naufragio quaſſata ſtudia recipiant ac reficiant, in ſolatium generis humani.

* Αὐδάσομαι ἐνόρκιον
λόγον ἀλαθεῖ νόῳ,
τεκεῖν μή τιν' ἑκατόν
γ' ἐτέων πόλιν
φίλοις ἄνδρα μᾶλλον
εὐεργέταν πραπίσιν, ἀ-
φθονέστερόν τε χέρα.

* *Proferam iureiurando firmatum verbū, vera i mente: nullā a centum annis ciuitatē pepeiſſe virū amicis magis beneficū pectore largioremq; manu.*

Agnoſcunt hoc ipſum Statielli tui, publi-

câ veriſſimi elogii voce: *Meliorem aut amæniorem mentis auram vix vlli mortaliū à Naturâ infuſam.* Ita,ita,infuſam à Naturâ; ſed puro & incorrupto rore per longas ſtemmatis flexuras à Maioribus deriuatā. Clari illi pacis belliq; artibus, domi foriſq; cari: quam gloriam,gratiamque ſparſo Liberalitatis ſeminio propagarunt. In priuatis aut ſingulis ſatiari diuinus ille adfectus nō poterat: in opida, & populos ſe effudit; Rempublicam, & Religionem ingenti ſumptu erexit ornauitq;. Sed quid? pulchrum mehercle, è veteri & domeſticâ memoriâ referre iſta, quæ publicis etiamnunc oculis & admirationi ſubiecta ſunt: pulchriùs, facere, quæ ad imitationē propoſita ſunt: pulcherrimum, referre ſimul & facere, quæ duplici laude propria ſunt. Tu vtrumque Prudentiſſime Vir, qui fugientes alibi Maiorum titulos, inquiris & inſpicis; vt nouo Virtutis colore in priſcam maieſtatem reſtituas. Sic felix magno Pietatis affectu,effectu glorioſus es. Sed felicitatem ſi intueor,tua eſt, animi tui limitibus circumſcripta & clauſa, Fortunæ flore quodam lecta & contenta: ſi verò gloriam,partim tua,partim Maiorum eſt;imò hoc ſimul titulo magis tua. Nunc igitur

vtere fruere felicitate ſimul & gloriâ, digniſſimus vtraque:

*Cui nec pigra quies, nec iniqua potentia, nec ſpes*
*Improba; ſed medius per honeſta & dulcia limes.*

Nomini verò meo de tuo Nomine, ſiue felicitatis, ſiue gloriæ vmbram aliquam concede. Scripſi prope lectulum, ſeptus etiam fuligine & reliquiis morbi, Mediolani, IV. Kal. Sext.

ↀ. IↃC. V.

# QVISQVIS ES,

## Et in Nomen meum inquiris:

LEGE SYNTAGMA *iſtud, breuiter, & ſine ambitu ſcriptũ; ſcies quod inquiris; imò amabis quod inquiris. Nam vt nunc iudiciorum ferè præcipitia ſunt, nouum alii, peregrinum alii, non ſine errore, habuêre. Errorem ſuſtuli, neque nouus ipſe ( Famæ, & Familiæ cauſſâ dico ) neque peregrinus. Sed quòd neque nouus, Maiorum virtuti; quod neque peregrinus, Muſarum beneficio acceptũ fero. Vt enim Maiores, ſic Nomen; vt Muſæ, ſic Nomen: clarum domi, nuſquàm peregrinum. Tu quiſquis es, ad lectionis lubentiam deſcende; & clarum domi, nuſquàm peregrinum ſcies. Salue.*

AD V. C.

# ERYCIVM PVTEANVM,

C. R. HISTORIOGRAPHVM INSV-
briæ, De ERYÇIO Nomine
edentem,

IOANNES TVBATIVS,
Belga.

DAT *celſus tibi Nomen* ERYX, *Cognomen auitum*
*Dat* PVTEVS; *dignum rebus vtrumq; ſuis.*
*Siue quòd aerios æquat mens æmula montes,*
*Luſtrando quidquid maximus orbis habet.*
*Siue quòd occultas penetrat telluris opacæ*
*Venas ingenii par vigor vſque comes.*
*Durus vterq; labor. ſed quid non vindice Phœbo*
*Audendum? cedunt peruia cuncta Deo.*

## BARTHOLOMÆVS REGIVS, Germanus,

Ἐρύκι ἐν Μουσῶν χορῷ μάλ' ὄλβιε,
Χαρίτων τ', ἀφ' οὗ στόματος γλυκεῖ' αὐδὴ ῥέει.
Εἱμαρμένη πρέπον σ' ἔδωκε τοὔνομα.
Ἐρύοντα Βαρβάρους ΕΡΥΚΙΟΝ λέγω.
Γλυκεῖ ῥυῶντ' αὐδῇ ΕΡΥΚΙΟΝ λέγω.
Ἄνδρας κλυτοὺς ἐρῶντ' ΕΡΥΚΙΟΝ λέγω.
Πάθητε πολύτ' ἐρύκοντ' ΕΡΥΚΙΟΝ λέγω.
Ἐρύκεις πάθη. Ἐρύεις σκαιοὺς. Κλυτοὺς ἐρᾷς.
Κομψός τ' εἶς. Πῶς οὔ σ' ΕΡΥΚΙΟΝ λέγω.
Λίξω, κ' ἀεὶ τούτου ὀνόματος μνήσομαι:

* *
*

ERYCI PVTEANI

# DE ERYCIO NOMINE

## Syntagma.

### CAPVT I.

*Nominis Elogia, & Munia. ab vtriſque cauſſa ſcriptionis inſinuata.*

INTER externa ac* fortuita mortalium, Nomen eſt: proprium ſingulis, cõmune omnibus, quod appellationis cauſsâ tamquàm vocale noſtri ſignũ à Parentibus quiſq; accipimus, aut trahimus; & ipſi Liberis damus, aut linquimus, ſollemni Gentium omnium iure.

** Fruſtrà Naturam torquent Philoſophi, Ingenium pro Naturâ Grãmatici.*

Homerus.

* Οὐ μὲν γὰρ πάμπαν ἀνώνυμος ἐστ' ἀνθρώπων,
Οὐ κακὸς, οὐδὲ μὲν ἐσθλὸς, ἐπὴν τὰ πρῶτα γένηται.
Ἀλλ' ἐπὶ πᾶσι τίθενται ἐπεί κε τέκωσι τοκῆες.

** Non enim quiſquam omninò abſque Nomine eſt hominũ, Neq; ignauus, neque eximius, poſtquã primùm natus ſit. Sed omnib. imponũtur, ſimul atque genuerint Parentes.*

Sic nati nudiq́ue Parentum vota ordimur Nomine, delitias fouemus: prouecti in commercium, & Famam imus; benè, aut malè audimus; æs contrahimus, aut ſoluimus; ſalutem damus, & accipimus. Plura quidem in vitâ: poſt quam viximus? etiam cineres comitamur Nomine; & ſic vitã ipſam audemus,

*—& Famam ſperare ſepulchro.*

Itaque qualis vita, tale Nomen cuiuſque; & poſt vitam etiam tale; cùm ſcilicet memoria Virtutũ, ſiue Scelerum poſtuma manet; in prœmium, ſiue pœnam. Nam malæ vitæ maculas Nomen excipit, ac diffundit; bonæ decora atque ornamenta explicat, & propagat. Fugias, an captes Famam, veſtigia linquis: & Nomen, velut vmbram tui trahis. Solis radii in vitrum illapſi, à vitro colorem vitri ſpargunt: ſic Nominis diffuſi quidam radii ſunt, quos colore candido, ſiue atro tingas: vt tu ipſe mente candidus, ſiue ater. Virtutem amas? prœmium Nomen dabit, & Nomine ipſo,

*Si chartæ ſileant, quod bene feceris,*
*Mercedem tuleris.*

Vitiis, & ſilentio indulges?

*—pœnâ gaudebis amarâ*
*Nominis inuiſi.*

Imago animi, vultus; vitæ, Nomen eſt. & quemadmodum vultu: ita Nomine inter ſe mortales diſtant; vtroq; formoſi, aut fœdi; grati, aut ingrati. Sed velut in bilance animus gloriæ ſtudioſus vacillat, videri à multis, an audiri ac nominari malit. Alius colore, cerâ, aere, lapide, abſentium, ac poſterorum oculos ambit: alius nudo bonoque Nomine ora & aures. Videri pulchrũ eſt, pulchrum etiam

*—digito monſtrari & dicier hic eſt:*

glorioſum verò nominari ac dici, etiam cùm non vidêris quo magis miror, pleroſque mortalium auidiores imaginis ſiue ſtatuæ, quàm Nominis ſiue Famæ eſſe; cùm alienus aliquis imaginis, tuipſe Nominis auctor & artifex. Nominis inquam,

*Quod*

*Quod non imber edax, non Aquilo impotens*
*Poſſit diruere, aut innumerabilis*
*Annorum ſeries & fuga temporum.*

Tranſi ad extremas Antiquitatis lineas, & memoriam magnorum virorum luſtra: tantam virtutem ſola Nomina ſuſtinent. Poſt Alexandrum, quis æri, colori, cœlamini fidat? ecce vetuſtate & Lyſippi æra, & Apellis colores, & Pyrgotelis cœlamina conſumpta quibus formam ſuam ſuperbiſſimus Regum Æternitati conſecrarat. Nunc verò nouit Alexandrum qui audit. Par omninò neceſſitas faſtum quoque Romanum excepit, & extinxit; illos

*—ſtanteis in curribus Æmilianos,*
*Et Curios iam dimidios, humerosq́ minorem*
*Coruinum, & Galbam auriculis naſoq́ carentem:*

Quorũ tamen Nomina viuunt, imò viuẽt, quamdiu memoria melioris æui. Etenim quod Deo Numen, id homini quodammodò Nomen. ſine Numine Deus non eſt; ſine Nomine homo non eſt vt non immeritò Plinius lib. v. cap. VIII. *Atlantes degeneres humani* vocet *ritus. Nam neq́ Nominum vllorum inter eos appellatio eſt.* Itaq; Deum quemdam dicas hominem, ſi perennioris auræ particulam Nomine ſortitus. O huc adſpirent ignauæ prauisque cupidinibus depreſſæ mentes; aut hoc ſaltem ſcriptum meum, ſiue inſtitutum ſiniſtro iudicio ne ventilent. Ego profectò, vt bonam Mentem, ſic bonam quoque Famam; & hinc Nomen amo, atq; etiam colo; quo bonam Mentem bonæ Famæ inſeram. Publicum quidem iam Nomen eſt, nec ſub Nomine mores erubeſcunt; imò publici mores ſunt, & ſupra inuidiam calu-

miniaſque Nomen tollunt, Quid inquiris improbe? ego ipſe vitam moreſque tibi produco: quid ſugillas? ipſe Nomen tibi populoque ſcribo & interpretór abſit Inuidia,

*—magnum & memorabile Nomen:*

quo me quidem

—* κάλεον μήτηρ τε πατήρ τε:

* *Vocabant Materque Paterque.*

& quod inſolés aut peregrinum multis, quia præter vulgatem Orthographiæ normá. Nunc etiam Pvteanvm multi, Erycivm pauci norunt: & Pvteani etiam multi præter me, Erycii nulli. Eſſe multos, & eſſe nullos patior, imò glorior; vt inter claros multoſque ego quoque numerer, ſed proprio, & vernaculo Virtutis Doctrinæque ſtudio atque Nomine.

## Capvt II.

*Quid Nomen, & quotuplex apud Romanos, reliquasq́ Gentes.* Erycivs, *Nomen, an Prænomen, Romano iure breuiter diſputatum. Non eodem tempore Nomina atque Prænomina imponi ſolita.*

NOmé breuiter definio, Signvm sive notam cvivsqve, propriam et singvlarem cviqve, appellationis cavssa, ab animo, corpore, avt fortvna svmptam. In hanc ſententiam pro parte Cicero lib. 1. De Inuentione. *Nomen eſt quod vnicuiq, perſonæ datur, quo ſuo quaq, proprio & certo vocabulo appellatur.* Et Feſtus: *Nomen dictum quaſi nouimen, quòd notitiam faciat.* Addidi *Ab Animo,*

*mo, Corpore, aut Fortunâ* : atque ita triplex potiſſimùm ratio ſiue origo. Ad Animum, Virtutes refero, Mores, Orationem, Artes, Studia, Res geſtas. Ad Corpus, Colorem, Formam, Habitum, Similitudinem. Ad Fortunam, quidquid extra Animum atque Corpus. Nomen olim apud omnes ferè Gentes ſimplex: ſed apud Romanos mox, cõſuetudine Albanorum & Sabinorum, neſcio quâ luxuriâ, ſe diffudit; cùm creſcere populus, & familiæ cœperunt: ſiue maieſtatis ſtudio, ſiue etiam facilitatis: & multiplicari expeditiùs Nomina potuerint, quàm innouari. Nam, vt Varro ſcribit lib. VIII. De Linguâ Latinâ, *cùm eſſent duo Terentii, aut plures, diſcernendi cauſsâ, vt aliquid ſingulare haberent, notabant forſitan ab eo qui manè natus diceretur, vt is Manius eſſet; qui luci, Lucius; qui poſt patris mortem, Poſthumus.* Cæterùm Appiani verbis, in Prœmio Hiſtoriæ, *τὰ ὀνόματα Ῥωμαίοις πάλαι μὲν ἓν ἦν, ὥσπερ ἀνθρώποις ἅπασιν ἑκάστῳ, μετὰ δὲ ἐγένοντο δύο, καὶ οὐ πολὺ χρόνος ἐξ οὗ καὶ τρίτον ἤρξαντό τισιν. ἐς ἐπίγνωσιν ἐκ πάθους ἢ ἀρετῆς ἐπιτίθεσθαι. Romanis verò antiquitùs ſingula Nomina erant, vt cæteris mortalibus. Poſtea bina facta, nec longo poſt tempore terna: quo magis ex notâ aliquâ corporis, aut virtute animi agnoſcerentur.* An verò terna? imo quaterna: *Prænomen*, (Plutarchus modò *Primum*, modò *Proprium* appellat: Dionyſius *Commune.*) *Nomen*, quod Gentilitium erat, *Cognomen*, *Agnomen*. Sic Iulius Paris in Epitome de Nominibus: *Quod per proprietatem dicitur hoc diſtat. quia eo gens cognoſcitur. ideoq; dicitur Gentilitium. cætera ordine variantur. Nam quod præponitur, Prænomen; quod poſt fertur, Cognomen; quod ad vltimum adiicitur, Agno-*

*men eſt.* In noto & illuſtri exẽplo rem ordinémque noſce: PVBLIVS CORNELIVS SCIPIO AFRICANVS. Et tamen vltimum illud, Agnomen, rariùs, Prænomen ſæpiùs per delitias vſurpatum; niſi me Iuvenalis fallit:

*— Gaudent Prænomine molles*
*Auriculæ.*

Nos verò Belgæ: Belga enim ſum, & gratiam Naturæ Genioque ſcribo, quod fecit: nos inquã Belgæ ſimplicia olim, more Gentium; ſed elegantiſſima Nomina habuimus, donec, ſiue ambitio, ſiue imitatio Romana ritum Patrium violauit. Nam poſtquàm longâ armorum laſſitudine in mores & iura Romanorum ceſſimus etiam Nominibus ſuperbire honeſtum fuit. ac poſteà, vt Sacra, ita Nomina quoque ſumpſimus, ſiue miſcuimus, Chriſtiana. Hodiè bina ferè ſunt: alterum *Luſtricum*, quo Sacra; alterum *Gentilitium*, quo Stemmata profitemur. De me ago, à me exemplum promam Luſtricum ERYCIVS, Gentilitium PVTEANVS eſt. Hoc vetuſtum nobis, & à *Puteo*, incertum quâ occaſione, deriuatum. Certè apud Venlonenſes, à primâ vrbis origine, inter primos, hoc nomine Maiores meos floruiſſe veteres memoriæ teſtantur. Et nunc Parens meus IOANNES PVTEANVS: optimus honeſtiſſimusque vir, publicè inter vrbis, priuatim inter familiæ primos: felix pariter cum Maioribus, ſi à diuturnâ bellorũ calamitate quietas aliquando fortunas villulasq; poſſideat Voueo & vt ipſe in locum ſtatumque Maiorum tranquillũ veniam; & Gnatum meum IVSTVM CÆCILIVM PVTEANVM, Poſterosq; ducam. Luſtricum verò, proprium, ſiue nouum

mihi: non enim primum dicam: ideoque dicendum vberiùs, & quia Romanè ſcribo, Romano nunc quoque torno ac cothurno comparandum, Nominis, an Prænominis iure cenſeri debeat. Prænomen dixeris, quia primum, quia proprium ac ſingulare eſt, quia Gentilitium præcedit: ſolum autem Gentilitium priſcâ appellatione Nomen. In contrariam verò ſententiam te Noſtræ pariter & Antiquæ conſuetudinis ſuffragium vocet. Noſtræ; quia nemo vmquam in Prænomen meum inquirat, ſed in Nomen, aut Cognomen. Antiquæ; quia quæ Luſtrica, olim Nomina erant: ERYCIVS verò Luſtricum; ergò Nomen Ita dico, Luſtrica, olim Nomina. Hæc enim Romani die Luſtrico, ſiue Nominalium, pueris imponebant: Prænomina autem non niſi poſt pubertatis annos. Sic, De Nominibus quidem Feſtum intelligo: *Luſtrici dies infantium appellantur: puellarum octauus, puerorum nonus; quia his* LVSTRANTVR, *atq.* NOMINA IMPONVNTVR. Item Macrobium lib I. Saturnalium, cap. XVI. *Eſt etiam Nundina Dea, à nono die naſcentium nuncupata, qui Luſtricus dicitur. Eſt autem Luſtricus dies quo infantes* LVSTRANTVR, *&* NOMEN ACCIPIVNT: *ſed is in maribus nonus, octauus eſt in feminis.* De Prænominibus verò Paridem in Epitome: *Pueris non priusquam togam virilem ſumerent, puellis non antequam nuberent,* PRÆNOMINA IMPONI *moris fuiſſe, Q. Scæuola auctor eſt.* Et cauſſa haut dubiè diſcreti ſic temporis fuit. In Nominibus fortaſſis; vt in familiæ ſuæ ſacra nouus homo mox à Natali die adoptaretur. In Prænominibus; vt nouum genus vitæ nouo nomine ornaretur. Cla-

rum igitur, ſi Romanum ritum ſequamur, in vtramuis iri ſententiam poſſe; tamque Nominis, quàm Praenominis iure Erycium cenſeri. Ego verò in vacillantis cauſſæ amabili controuerſiâ, pro iure Nominis ſto & ſentio; moremque vernaculum exemplo Romano tueor. Hi enim ipſi ſeriem iſtam nominum confuderunt, adnotante Paride: *Animaduerto in Conſulum faſtis, perplexum vſum Prænominum & Cognominum.* Et: *Quinetiam quædam Cognomina in Nomen verſa ſunt.* Paullò pòſt: *Quæ olim Prænomina fuerunt, nunc Cognomina ſunt.* Itaque, Prænomine ad Antiquitatem relegato, Luſtricũ meum, Nomen ſcribo; & hoc iure Erycivs ſum: Gentilitium verò, Cognomen; & hoc honore Pvteanvs.

---

## Capvt III.

Erycі *Etymologiam, & Orthographiam partim Cimbricam, partim Græcam, ſiue Latinam eſſe. De Cimbricâ accuratè dictum. Arminii memoria. Noſtra nonnulla Nomina correcta.*

Sed nũc meipſe propiùs inſpicio, vim inquam Nominis ac naturam. Hæc partim Cimbrica, partim Græca, ſiue Latina: vt ipſum fuiſſe Nomẽ oſtendam, nobis, Græcis, imò Latinis frequenti in vſu. Cimbricam ordior: quâ pulcherrima illa noſtratium Nomina Compoſita, & Significatiua ſunt: & è Simplicibus, ſiue Monoſillabis (ſimplicia autem omnia noſtra Monoſillaba) conſtant. Sed priuſquàm ad Erycі explicationem deſcendo,

do, lubet, pulcherrimæ linguæ & inſtituti cauſsâ, propinqua nonnulla Nominum exempla prælibare. Lubet inquam; ſed vt Patriam profitear, Belgicâ Dialecto *Gooſſen*, nunc Latinâ ſcriptione: *Goſſuinus*, quaſi *Godtſoon*, id eſt, Dei filius; ex *Godt*, id eſt, Deo, & *Soon*, id eſt, Filio. Florus lib. IIII. cap. XII. hoc Nomine Dacorum Regem *Cotiſonem* appellauit, Germanico fortaſſis ſpiritu, quibus *Got Cot* ſonat: *Daci montibus inhærent.* COTISONIS *Regis imperio, quoties concretus gelu Danubius iunxerat ripas, diſcurrere ſolebant, & vicina populari.* Et Horatius lib. III. Carminum, Ode VIII.

*Occidit Daci* COTISONIS *agmen.*

*Geeraert*, nunc *Gerartus*, id eſt, *Deſiderius*; ex *Geer*, ſiue *Gier*, id eſt, auido, & *Aert*, id eſt, Naturâ. Atque hoc Nomine doctus ille Roterodamus fuit, dictusque patrio more *Gerardus Gerardi* F. Poſteà è *Gerardo*, Latinâ appellatione *Deſiderius*; è *Gerardi* filio *Eraſmus*, Græcè. Quod enim Latinè *Deſidero*, ſiue *Cupio*, id Græcè Ἐράω. *Coenrædt*, nunc *Conradus*, Græcè *Thraſibulus*; ex *Coen*, id eſt, audaci, & *Ræt*, id eſt, conſilio. *Frederick*, nunc *Fredericus* (hic Cæſari in Commentariis, vt quidam neſcio quâ ſollertiâ interpretantur, **Eporedorix*;) ex *Frede*, ſiue potiùs *Vrede*, id eſt, pace, & *Ryck*, id eſt, diuite; vnde & Itali *Ricco*, *Ricchezza*, & Galli *Riches*, *Richeſſes* dicunt. Hoc Nomen Illuſtriſſimus Cardinalis BORROMÆVS publico Virtutis, Doctrinæ, & Dignitatis, radio illuſtrat; quem popularis error, ſiue conſuetudo, à Fide *Federicum* ſcribit. *Dierick*, per con-

* *Eporedia, opidū olim,* referente Plinio, *in Italia Trāſpadanâ, Sibyllinis libris à Populo Romano condi iuſſū.* Et *Epore dicas Galli bonos equorum domitores vocebant.*

tractionem *Dirck* nunc *Diodorus*, atque *Theodorus*, non ſine meo riſu; ex *Dier*, id eſt, pecore, & *Ryck*: quaſi Diues pecoris. *Henryck*. nunc *Henricus*, Cæſari, Interpretum conſenſu, *Ambiorix*, ex *Heim*, id eſt, domo, ſiue prædio, & *Ryck*. Atque ad hunc denique modum ERICK, aut rectiùs ERYCK, per contractionem ERCK, nunc Latinè ERRICVS aliis; vt & ego RELIQVIAS, PALLADEMQVE meam inſcripſeram; ERICVS aliis; ERYCIVS mihi; ex *Eer*, id eſt, honore, & *Ryck*, quaſi honoris diues. Apud Cæſarem *Orgetorigem* Interpretes *Erick*, ſiue *Erenrick*, ſed laboranti coniecturâ explicant. Fuit autem, ipſius Cæſaris verbis. *apud Heluetios longè nobiliſſimus & ditiſſimus Orgetorix. Is*, qui *regni cupiditate inductus, coniurationem Nobilitatis fecit, & Ciuitati perſuaſit, vt de finibus ſuis cum omnibus copiis exirent*. Patior tamen magni Scriptoris & Imperatoris cauſsâ, *Orgetorigem*, *Erick*; imò & *Eporedorigem*, *Frederick*, & *Ambiorigem*, *Henrick* eſſe: an ideò dici atque ſcribi? Vſus noſter vetat. Quem ego, in meo quidem Nomine, publicè nunc corrigere auſim, tollere non auſim. Tollam autem, ſi *Orgetorigmis*; corrigam, ſi ERYCI appellationem vſurpem. Itaque corrigo, & vſurpo. & ERICVM in ERYCIVM produco. Si enim origine noſtrum hoc Nomen, cur non & Orthographia noſtra? ſi vſu Romanum, cur non & Terminatio atque Inflexio talis? Orthographia verò noſtra in ſecundâ ſillabâ ſine Litterâ Pythagoricâ non conſtat. Qui Belga non es, Belgicas aures pronunciatione conſule. *Rick* effers? reſpuent:

reſpuent: *Ryck?* admittent. Non nego tamen, extra Vernaculæ ditionis fines I ſimplex poſſe tolerari. Sed Terminatio IVS, ipſo iure Romana eſt; & Inflexio reliquos ſic deinceps caſus extendit. Lege nunc ERYCIVM, & Belgam, Romanumque ſimul eſſe intelliges. Quomodò Belgam? fronte & animo. quomodo Romanum? iure & honore: quippe in Ciuium Patriciorumq; numerum, vna cum vniuersâ Poſteritate, ſollemni Senatusconſultò, Anno ∞. IↃCIII. adſcriptum. Sciant Poſteri mei, & in eodem Nomine Originis, Honoriſque memoriam inueniant: Originis Belgicæ, Honoris verò Romani. Atque Nomen ipſum, quid aliud, quàm HONORIS Omen? Amplector: & Virtutem ipſam, per quam priſca Religio aditum ad limen Honoris aperuit. Nam cui Honor in voto, Virtus in animo ſit neceſſum eſt: & benè facere, quàm benè audire prius eſt. At heus tu inquies, ne extra oleas. Litteram Y in ERYC Belgicam eſſe. ſatis liquet; & in ERYCIO retinendam: ſed Terminationem IVS potius, quàm VS Romanam eſſe, nondum liquet. Ego verò faxo liqueat; vtque tuipſe iure Quiritium P.R. De ERYCO ERYCIOQVE pronuncies. Romani Propria olim noſtra, quæ in Secundam Declinationem adoptabant, promiſcuè in IVS & in VS ſolebant terminare. Vide Antiqua monumenta & libros, inuenies. Sed ne ſine exemplo loquar, vnum. atque inſigne, in paginam produco. *Armin*, ſiue *Eermin*, illuſtre olim apud noſtros Nomen (ne quis longè, aut impropriè ad Mercurium, ſiue ἑρμῆν referat,) ex *Ar*,

ſiue *Eer*: confundi enim hæ interdum Vocales ſolebant: & *Minne*, id eſt Amore, aut certè Amante; quaſi Honoris amor, ſiue amans. Latini igitur quomodò expreſsêre? num *Arminum*? nequaquam: *Arminium* conſtanter. Florus lib. IV. cap. XII. *Vt primùm* (Germani) *togas & ſæuiora armis iura viderunt, duce* Arminio *arma corripiunt*. Et Tacitus ſæpiuſculè lib. I. & II. Annalium. Fuit Arminius iſte vir ſtrenuus, victoriis clarus, Cheruſcorum Princeps, qui cum Sueuis, & Sugambris (hinc originem trahimus) bellum contra Romanos crudeli ſacramento ſumpſerant, *adeò certâ victoriæ ſpe* (verba Flori ſunt) *vt prædam in anteceſſum pactione diuiderent. Cheruſci equos, Sueui aurum & argentum, Sugambri captiuos elegerant*. Arminius ipſe tantâ poſteà clade Quinctilium Varum fudit; *vt* (cum eodem Floro dicam) *Imperium, quod in littore Oceani non ſteterat, in ripâ Rheni fluminis ſtaret.* Itaque cùm Erycius Arminiusque Compoſitione & Significatione adfinia ſint; cur imparia aut diſſimilia Terminatione? Ac ſanè ſi Latinius aut venuſtius triſillabum fuiſſet, non *Arminii*, ſed *Armini* appellationem Cheruſcus ille admiſiſſet: quippe, qui & Nominis curioſus (vt magni ſolent animi Famæque viri,) & Latini ſermonis vſu peritus: quemadmodum Tacitus lib. 2. Annalium teſtatur: *Cernebatur contrà minitabundus Arminius, præliúmque denuncians. nam pleraque Latino ſermone interiaciebat, vt qui Romanis in caſtris ductor popularium meruiſſet.* Et cur non ego pariter Ius Latinum Nominis ſcri-

bundi

bundi ſumam; cùm in Romanis, non quidem Caſtris, ſed Libris & Eruditione; non Doctor, ſed Doctor Iuuentutis publico Regioque titulo meream? At enim nequid contra morem ſeculi aut vſum. Quem morem? quem vſum? Quin hoc potiùs facio; & vt proprium magis Nomen habeam, nemini hodiè, quibuſdam olim vſurpatum. Adde, grandiora Nomina, etiam priſcorum perſuaſione, maieſtatis pluſculùm præferre. Sic igitur etiam vulgata illa, *Fredericum*, *Diodorum*, *Henricum*, ſi iuris mei ſint, in FREDERYCIVM, aut molliùs VREDERYCIVM, DIERYCIVM, HENRYCIVM commutem.

## CAPVT IV.

ERYCI *Originatio Græca, ſiue Latina. Videri ab* ERYCE *deduci; vnde Mons, Vrbs, & Venus Erycina. hanc Siculam, atque etiam Romanam fuiſſe. A Diis pleraque Nomina tracta.* ERYX, *Deus.*

ATQVE hæc natura & origo Cimbrica. Græcam, ſiue Latinam ſubnecto. Fuit enim ERYCIVS apud vtramque hanc Gentem. Sed origo remota, non niſi face & viatico indagāda. Trahit errantis calami impetum, an diſtrahit? ille Veneris & Butæ filius, ille inquam

*— acer* ERYX *in prælia ſuetus*
*Ferre manum, duroq; intendere brachia tergo:*

à quo Mons, & à monte Vrbs ipſa ERYX, & Tem

plum Veneris ERYCINÆ. Atque Veneri mons iſte ſacer. Solinus de Syracuſis ſcribens: *Eminet montibus Ætnâ, & Eryce. Vulcano Aetna ſacer eſt*, ERYX VENERI. Sed de Monte, Vrbe, Templo fusè Polybius lib. I. Strabo lib. VI. Aliique. Cicero tamen Montem, ab ERYCE inibi ſepulto, ERYCVM nominat, in Verrinâ II. *Non enim Quæſtor petit (vt eſt conſuetudo) is qui* ERYCVM *montem obtinebat.* Iterùm in eadem: *Hoc de homine, ac de huius bonis, etiam in* ERYCO *monte monumentum tuorum flagitiorum, crudelitatisq; poſuiſti.* Sed quid ſi reponas, ERYCIVM, & ERYCIO? aut certè ERYCINVM, & ERYCINO? vt apud Vergilium:

*Tum vicina aſtris* ERYCINO *in vertice ſedes*
*Fundatur Veneri Idaliæ.*

Apud eumdem Litus etiam ERYCINVM eſt:

*Quid repetã exuſtas* ERYCINO *in littore claſſes?*

Et Populi apud Plinium, lib. III. cap. VIII. leguntur ERYCNII, Siciliæ ſtipendiarii, qui haut dubiè ERYCII, aut ERYCINI ſcribendi. Adiungo Veneris ipſius Epitheton, quod ab ERYCE filio mater traxit, & dicta ERYCINA. Cicero in Verrinâ II. *Heredem ſtatuas iuſſum eſſe in foro ponere; niſi poſuiſſet*, VENERI ERYCINÆ *eſſe multatum.* Et mox: *Itaque apponit, qui petat* VENERI ERYCINÆ. Sæpiusque in iiſdem Verrinis. Seneca in Hippolyto:

*Natum per omnes ſcilicet terras vagum*
ERYCINA *mittit.*

Ouidius lib. III. Amorum, Elegiâ x.

*Quid geminas* ERYCINA *meos ſine fine dolores?*

Hora-

Horatius lib. I. Ode II.

*Siue tu mauis* ERYCINA *ridens,*
*Quam locus circumuolat, & Cupido.*

Niſi tamē in Poetarum hiſce locis Romana quædam ERYCINA potiùs intelligenda, cuius Templum ad portam Collinam. Strabonis manifeſta verba ſunt, lib VI. Ἀφίδρυμα δ' ἐστὶ καὶ ἐν Ῥώμῃ τῆς θεοῦ ταύτης τὸ πρὸ τῆς πύλης τῆς Κολλίνης ἱερόν, Ἀφροδίτης Ἐρυκίνης λεγόμενον, ἔχων καὶ νεὼν, καὶ στοὰν περικειμένην ἀξιόλογον: *Simulacrum verò huius Deæ etiam Romæ eſt, ad portam Collinam ſacrum, Veneris* ERYCINÆ *dictum; & templum habens, & ambientem magni pretii porticum.* Imò ipſum illud ſimulacrum Siculum è colle ERYCINO Romam translatum, & Meretricibus peculiariter cultum, Nomen portæ Collinæ dedit. Sic Ouidius lib. IV. Faſtorum, qui cultum Hiſtoriamque ERYCINÆ Romanæ graphicè repræſentat.

*Numina vulgares Veneris celebrate puellæ,*
*Multa profeſſarum quæſtibus apta Venus.*
*Poſcite thure dato formam, populiq́ fauorem;*
*Poſcite blanditias, dignaq́ verba loco.*
*Cumq́ ſuâ Dominæ date grata Siſymbria Myrto,*
*Textaq́ compoſitâ iuncea vincla Roſâ.*
*Templa frequentari* COLLINÆ *proxima portæ*
*Nūc decet: à* SICULO *Nomina* COLLE *tenet.*
*Vtq́ Syracuſas Arethuſidas abſtulit armis*
*Claudius, & bello te quoq́ cepit* ERYX:
*Carmine viuacis* VEN⁹ *eſt* TRANSLATA *Sibyllæ,*
*Inq́ ſuæ ſtirpis maluit vrbe coli.*

Vt igitur ab ERYCE, Mons, Vrbs, & ipſa Venus: ita fortaſſe ERYCIUS, aut ab aliquo horum. A

Diis certè non pauca olim Nomina ſumpta, & excellentiora: nec infrequenter noſtrâ illâ Terminatione in Ivs. Ab Apolline *Apollonius*, à Phœbo *Phœbadius*, à Pallade *Palladius*, à Mineruâ *Mineruius*, ab Hercule *Heraclius*, à Sole, ſiue ἡλίῳ *Helius*. Eryx verò, aut Deus, aut tamquàm Deus cultus. Apud Vergilium:

*—Vbi nunc nobis* Devs *ille magiſter,*
*Nequidquam memoratus* Eryx?

Apud eumdem Æneas, è Siciliâ ſoluens,

*Treis* Eryci *vitulos, & tempeſtatibus agnam*
*Cædere deinde iubet, ſoluiq́; ex ordine funeis.*

Plura de Eryce Pauſanias in Laconicis, Lucanus libro IV. & alii.

## Capvt V.

*Alia* ἀπὸ τοῦ Ἔρωτος *Deriuatio. Delitiæ quædam Nominum ab eodem Deo.* Erotii *memoria.* Ervcivs, *&* Ἐρούκιος: *item ratio vtriuſque.* Erṽccivs, *&* Ervccia. Ervcæ *natura.*

Qvid ſi tamen amabile magis Nomen faciamus, & vicino gradu ἀπὸ τοῦ Ἔρωτος, id eſt, *Amore*, deriuemus? Sinat Venus, nec repugnet Amor; qui delitias ſuas Nominibus quoque infuderunt. Viros reſpicio? Græcè quidem manifeſtum eſt, & *Eros* ipſe ſæpiùs nominatur. Latinè verò, *Venerius, Venuſtus, Pulcher, Gratus, Gratia-*

*nus,*

*nus*, *Carus*, *Amatus*, *Amandus*, *Amantius*, & plures, partim magni, partim Conſulares fuêre. Feminas? *Veneriam*, aliàs, & Latinè alias: *Amandam*, *Amabilem*, *Blandam* in eleganti marmore, heſternâ die, cum Perilluſtri LVDOVICO LOPES GALLO, Toparchâ Vormiſellæ, Belgarum & Amicorum meorum delitio, notaui.

P. VETTIVS
GALLVS
VI. VIR. IVN
PONTIF
SIBI. ET
AMANDÆ
AMABILI
BLANDÆ
LIBERT
T P I

Sed ne intra Latium muliebria hæc exempla reſtringam, *Philematium* diminutiuè à ſuauio Plautus, ſiue finxit, ſiue, quod reor, è Græco vſu in Scenam Latinam introduxit. Et φίλημα ipſum, ſiue *Suauium* in Nomina & Amores Latinos Lucretius, libro IV.

*Simula*, Σιλλώ'ν ac *Satyr'ſt*; *labioſa*, φίλημα.

*Stephanium* idem Plautus à coronâ, id eſt, capitis, imò totius corporis ornamento, ſiue malis, veſte muliebri. Aiunt enim Græci Στεφάνην eſſe περικεφαλαίας εἶδος, & κόσμον γυναικεῖον. *Spiræ genus*, & *mundum muliebrem*, ſiue *ornamentum*. Et con-

gruenter Vergilius in Ceiri:

*Frigidulam iniectâ circumdat veſte puellam,*
*Quæ prius in tenui ſteterat ſuccincta* CORONA.

Sic igitur & à Venère Stephanium propriè eſſe, Heſiodus innuit, qui eamdem, Ἐϋστέφανον Κυθέρειαν nominat. Atque totum illum mundum è Gynæceo, Venereum eſſe, delicatiores oculi ſciunt. In Plauto ſum, &, vt vides, inter mulieres; ſed caſtè. ego meam habeo, meamque amo. quam bona caſtaque Iuno feliciſſimo cõnubio bonam caſtámque mihi è TVRRIANIS Inſubribus iunxit Nũc quis vetat eodem ſocco *Erotium* (In Lapidibus etiam *Erotis* eſt) inducere, ab Amore ipſo dictã? Sono, & ſcriptione vicinus ſum: ac pænè ſine liturâ ERYCIVM in EROTIVM mutes. Sed habeat res ſuas *Erotium*: prandeat potet, cubet cum Menæchmo ſuo, Amore ſuo; non inuideo. corrumpi nomen meum Amoris cauſsâ non ſino. Et tamen EROTIVS olim fuit (quemadmodum & EROS) quem Inſcriptiones Antiquæ, à Clariſſimo IANO GRVTERO ad vitam & æternitatem reuocatæ loquuntur. Apud Lactoracenſes.

PRO. SALVTE. IMP. ANTONINI. GORDIANI PII. FEL. AVG. TOTIVSQVE. DOMVS. DIVINÆ PROQVE. STATV. CIVIT. LACTOR. TAV ROPOLIVM. FECIT. ORDO. LACT. D. N GORDIANO. II. ET. POMPEIANO. COS VI. ID. DEC. CVRANTIB. M. EROTIO ET. FESTO. CANINIO. SACERD.

Et alius apud eoſdem in eadem pęnè verba de eodem

dem EROTIO lapis. Sed habeat res ſuas quoque *Erotius*: ego ERYCIVS ſum: & patiar tamen à Latinis ERVCIVM me dici. Ita, à Latinis, qui, vt ſuum Nomen facerẽt, Græcam Vocalem in ſuam tranſmutarunt. Sic *Purrhum*, & *Fruges* ſemper Ennius: etſi Poſteriores, adnotante ipſo Cicerone, *Pyrrhum*, & *Phryges*. Apud Nonium in Inibi, *Pacuuius Iliona*: *Profectò aut inibi eſt, aut iam potiuntur Frugum*, id eſt, *Phrygum*. Ipſe ERYX eadem Vocali ERVX Latinè conſpicitur in nummo C. Conſidiani Noniani, quem Antuerpiæ apud Clariſſimum ABRAHAMVM ORTELIVM ante octennium vidi. Atque Græci deinde, littera Latina decepti, ex ERVCIO ΕΡΟΥΚΙΟΝ fecêre. Ita namque ſolent, V longam, tam Vocalem, quàm Conſonantem, in ΟΥ diphthongum transformare. Vocalem, verbi cauſsâ, cùm *Tullium* Τύλλιον: Conſonantem, cùm *Valerium* Οὐαλέριον ſcribunt. Iterùm Latini C noſtrum in viro, atque etiam femina duplicarunt; & ERVCCIVM, ERVCCIAMQ. ſcripſerunt: niſi Inſcriptio mendoſa, quæ Romæ.

ERVCCIÆ. GRAPTENI
ET. PATRONO. EIVS
M. ERVCCIO. LVCRONI
ET. FILIORVM. EIVS
PLÆTORIVS. MAXIMVS
POSVIT
CONIVGI. SVÆ
D. B. M.

Quòd ſi Græci V longa non decepti, Ervcivs Latinum Nomen eſt, in medio Latio natum. ſed qua origine aut ſtirpe? An ab Ervca? Erycina quidem, ſiue ſalax hæc herba, Venereumque neſcio quid habet. Columella lib.x.

*Iamq;* Ervca salax *fœcundo prouenit horto.* Plinius lib.xix.cap.viii. Ervca *præcipuè frigorum contemptrix, diuerſæ eſt quàm Lactuca naturæ, conciliatrix* Veneris. Et ſæpiùs. Iſidorus in Gloſſario: Ervca *quaſi* Vrica, *quòd ignitæ ſit virtutis, & in cibum ſæpè ſumpta, Veneris incendium mouet. Huius ſpecies duæ; quarum altera vſualis; altera agreſtis, acrioris virtutis: vtraque tamen Veneris commouens vſum.* Ipſe Priapus, in Catalectis:

> *Nam quamuis videar ſatis paratus,*
> Ervcarvm *opus eſt decem maniplis.*

Atq; eidem Deo herba hæc ſacra. & propter eum ſerebatur. Columella ſignato libro:

> *Et quæ frugifero ſeritur vicina Priapo,*
> *Excitet vt Veneri tardos* Ervca *maritos.*

---

## Capvt VI.

*Appellatiuè* Ericivm *inueniri. Cæſar correctus, aut explicatus.* Ericivs, Ἐχῖνος. Erice, *frutex.*

Ervcivm erui: quid ſi Ericivm quoque? Latinè, atque etiam Græcè fiet, Animi, Nominis,

minis, Eruditionis cauſsâ. Latini inter inſtrumenta bellica ERICIVM habent. Cæſar meminit lib.III. de Bello Ciuili: *Erat obiectus portis* ERICIVS. Et mox: *Sed tamen noſtri virtute vicerunt; exciſóque* ERICIO, *primò in maiora caſtra, pòſt etiam in caſtellum, quod erat incluſum maioribus caſtris, irruperunt*. Emendare poſſim: *Erat obiectum portis* HERCIVM: &, *Exciſoq;* HERCIO. Ἕρκιον enim apud Græcos *ſeptum*: vt velut catarrhacta aliqua intelligatur obiecta. Sed magis eſt vt retineam vulgatam lectionem; & per ERICIVM inſtrumentum aliquod, ſiue machinam intelligam, ab *Erigendo* dictam, & ERICII animalis figurâ quadam pinnatam atque criſpam; quâ portarum aditus munirentur. Ecce qui oppugnant, *Arietes* ſuos admouent, & nominant: ſic qui propugnant, ERICIOS fortaſsè erigere atque obiicere ſoleant. Eſt autem ERICIVS, Echinus terreſtris. Gloſſæ veteres: ERICIVS, Ἐχῖνος. Explicatiùs Iſidorus: ERICIVS, *animal ſpinis coopertum, quod exinde dicitur nominatum, eo quòd* ERIGIT *ſe quando ſpinis ſuis clauditur, quibus vndique protectus eſt contra inſidias. Nam ſtatim vt aliquid ſenſerit, primùm ſe ſubrigit; atque in globum conuerſus, in ſua ſe arma recolligit*. Facio ipſe, & Inuidiæ petulantiâ irritatus, in Modeſtiam meam, ſecuriſſima arma, me recolligo & ERIGO. Sed in contumelioſos nimiùm Arietes, qui palàm & Nomen, & Modeſtiam meam oppugnant & quatiunt, iure Litterarum Latinè ERICIVS, ſiue *Erectus*, & Anticatapulta ſum. Græcè verò honeſtum hunc quoque terrorem meum ſignifico &

commonſtro. atque maligna liuentium vota machinasque Ἐρείκω, id eſt, *ſeco*, ſiue *ſcindo*. Poſſit tamen ad Ἐρείκω Origo hæc referri. ERICEN autem, ſcribente Plinio, lib. XXIV. cap. IX. *Græci vocant fruticem non multùm à Myrice differentem, colore Roriſmarini, & penè folio. hoc aduerſari ſerpentibus tradunt.* Et lib XIII. cap. XX. eiuſdem antidoti meminit: *In Aſiâ & Græciâ naſcuntur frutices Epipactis, quam alii Elleborinen vocant, paruis foliis, quæ pota contra venena proſunt: ſicut* ERICES *contra ſerpentes.* Et alibi ab ERICE idem Plinius *Mel Ericæum* nominat. Iam verò quemadmodum ſcripturâ: ita etiam virtute Mons ERYX, & Frutex ERICE adfines. Nam & ERYCEM Polybius ſcribit *maritimis auris amœnè expoſitum, & mortiferarum ferarum omninò expertem.* Siue igitur à machinâ ERICIO, atque animali, ſiue à frutice ERICE Proprium deriues, magiſtram Antiquitatem habes. Et à machinis, animalibus, fruticibus plures olim dicti.

## CAPVT VII.

*Apud varias Gentes* ERYCIOS *fuiſſe.* ERYC *Rex Gothorum, Suionúmque. Alius ex iiſdem in Chriſtianos faſtos relatus.* ΕΡΥΚΙΟΣ *Poeta.* ERYCIVS *Orator.* ERYCIVS VALENS. ERYCIANVS *Libertus. Item* ERYCIVS CLARVS *Præfectus Vrbis, & bis Conſul. huius memoria breuiter collecta.*

SED nunc de Nomine ipſo ſatis: qui Nomine fuerint per Antiquitatis ſpatia inueſtigo Fuerunt autem è noſtris, Græcis, Latinis. Turbam ne exſpectes, vnum alterumque è ſingulis producam in Honoris & Memoriæ ſcenam, vt ſaltem fuiſſe oſtendam. E noſtris (noſtros autem voco, qui Linguâ noſtrâ vſi) ERYC Rex Gothorum, Suionumque fuit, iuſtus & clemens, circa annum (fides Hiſtoricis ſit) à Diluuio CCCLVII. ad Regnum euectus. Hic Magogi ex filio Gogo, ſiue Gothoro nepos, vel, vt alii, abnepos. Magogus autem teſte Ioſepho lib.I. cap.XI. Noachi ex filio Iapheto nepos, Scythicæ Gentis pater & conditor. Fuit & ERYCK longo ibidem interuallo Rex, quem Chriſtiani Faſti in numerum Diuorum receperunt. Et hodie in eadem Gente, imò noſtrâ, velut ab antiquâ origine frequens hoc Nomen. E Græcis Poeta ΕΡΥΚΙΟΣ, cuius Epigrammata aliquot exſtant, per Anthologiam ſparſa. E Latinis denique Syllæ temporibus, C. ERYCIVS Orator fuit, aduerſus quem Cicero Sext Roſcium Amerinum defendit. Ait enim ipſe: *Criminis confictionem accuſator* ERYCIVS *ſuſcepit.* Et paullò pòſt: *Quibus tandem te* C. ERYCI, *argumentis accuſatorem cenſes vti oportere?* Sæpiusque eumdem nominat. Et tempore Veſpaſiani, M. ERVCIVS VALENS, cuius memoria in tabûlâ tribus Succuſſanæ. Item ab ERVCIO Libertum ERVCIANVM inuenio. In veteri Inſcriptione, Romæ.

Domitiæ
Avgvrinæ
C Ervcianvs Thesevs
et Volvsia Severa
et Anthemvsivs Avg Lib.

Fuit verò clarus Litteris, Virtutibus, Honoribus vir, Sext. Erycivs Clarvs, cuius ſparſam memoriam, aut incognitam breuiter hîc colligo, viri, atque Nominis cauſsâ. Quando natus, non ſatis diſtinguo: mortuus quidem ſub Seuero Imperatore. qui, vt Spartianus ſcribit, Erycivm *occidit, ſine cauſſæ dictione.* Occidit inquam Erycivm, quo Conſule ipſe natus. Verba eiuſdem Spartiani ſunt: *Ipſe,* Seuerus, *natus eſt* Erycio Claro II. *& Seuero Coſs.* Claudio ſcilicet Seuero, quem, Capitolino referente, *velut Peripatetica ſtudioſum Marcus Antoninus Philoſophus audiuit.* In veteri Pæaniſtarum Inſcriptione, quæ Romæ, horum Conſulum memoria durat.

Hiera

ΗΙΕΡΑ ΤΑΞΙC ΤΩΝ ΠΑΙΑΝΙCΤΩΝ
ΤΩΝ ΕΝ ΡΩΜΗ ΔΙΟC ΗΛΙΟΥ
ΜΕΓΑΛΟΥ CΑΡΑΠΙΔΟC ΚΑΙ ΘΕΩΝ
CΕΒΑCΤΩΝ ΕΤΕΙΜΗCΑΝ ΕΜΒΗΝ
ΠΡΟΦΗΤΗΝ. ΠΑΤΕΡΑ ΤΗC ΠΡΟ
ΓΕΓΡΑΜΜΕΝΗC ΤΑΞΕΩC ΠΡΟΤΟ
ΜΗ ΜΑΡΜΑΡΙΝΗ. Η. ΑΝΑΤΕΘΕΙCΑ
ΕΝ ΤΩ ΟΙΚΩ. ΤΩΝ ΠΑΙΑ
ΝΙCΤΩΝ ΤΗ ΠΡ Α̅. ΝΩΝΩΝ
ΜΑΙΩΝ. Η. ΕCΤΙΝ ΚΑΤΑ
ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙC. ΠΑΧΩΝΙΑ
ΕΠΙ ΚΟΥΡΑΤΟΡΟC ΜΕΤΕΛΛΙΟΥ
ΑΜΠΛΙΑΤΟΥ ΠΡΕCΒΥΤΕΡΟΥ
CΕΞΤΩ * ΕΡΟΥΚΙΩ ΚΛΑΡΩ
Β. ΓΝΕΩ ΚΛΑΥΔΙΩ
CΕΒΗΡΩ ΚΩC

*Rationem huius ſcripturæ cap. 5 diſputam.

Religioſa hæc Inſcriptio eſt. religioſam ſtri-ctamque Interpretationem addo. *Sacerordo Peaniſtarum Romæ Dei Solis, magni Serapidis, & Deorum Auguſtorum honorarunt Emben Prophetam, patrem præſcripti ordinis Stemmate marmoreo, quod poſitum eſt in domo Paaniſtarum, pridie Nonarum Maiarum, quæ eſt, ſecundum Alexandrinos Pachonia, ſub Curatore Metellio Ampliato Presbytero,* SEXTO ERVCIO CLARO II. GNEO CLAVDIO SEVERO *Coſſ.*

Bis igitur Conſul fuit ERYCIVS: ſed manu, &

menteſtrenuus; vt Nomine, ſic Militiâ *Clarus*. Nam bello Parthico cum Traiano interfuit, onus expeditionis Legatus ſuſtinuit. Xiphilinus in Epitome de Traiano: Ἑάλω δὲ καὶ ἡ Σελεύκεια πρός τε ἘΡΥΚΙΟΥ ΚΛΑΡΟΥ, καὶ πρὸς Ἰουλίου Ἀλεξάνδρου ὑποστρατηγῶν, καὶ ἐκαύθη. *Seleucia ab* ERYCIO CLARO, *& Iulio Alexandro Legatis capta & incenſa.* Eumdem ERYCIVM Vrbs Præfectum habuit, ſed dignum iſto munere, ob Virtutem & Doctrinam. Agellius lib. XIII. cap. XVI. ERYCIVS CLARVS, *qui Præfectus Vrbi, & bis Conſul fuit, vir morum litterarúmque veterum ſtudioſiſſimus, ad Sulpitium Apollinarem ſcripſit, hominem memoria noſtra doctiſſimum, quærere ſeſe & petere, vt ſibi reſcriberet, quænam eſſet eorum verborum ſententia.* Scilicet: *Inter os & offam multa interuenire poſſe.* quæ cùm in Oratione M. Catonis Cenſorii *De Ædilibus vitio creatis* vir accuratiſſimus legiſſet; nec ſatis prouerbii ſenſum caperet, doceri ab Apollinari voluit; & doctus eſt. quis? Vir Conſularis, & Præfectus Vrbis. Videamus: *Tum Apollinaris nobis præſentibus (nam id temporis ego adoleſcens Romæ ſectabar eum, diſcendi gratiâ) reſcripſit* CLARO, *vt viro erudito, breuiſſimè, Vetus eſſe prouerbium, Inter os & offam, idem ſignificans quod Græcus ille παροιμιώδης verſus:*

Πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος, καὶ χείλεος ἄκρου.

Iterùm Agellius lib. VI. cap. VI. *Audiui Apollinarem Sulpitium, quem inprimis ſectabar, cùm de Iure Augurum quæreretur, & mentio Præpetum auium facta eſſet,* L. CLARO, PRÆFECTO VRBIS

BIS *dicere, Prapetes ſibi videri, quas Homerus τανυ-πτέρυγας appellauerit.* Reſcribi autem hic debere ERYCIO CLARO, clauſis, vel in totum Homericis oculis liquet. Iam verò quæ Auctoritas & Exiſtimatio viri? vtramque veneror, & in Reſcripto Antonini è lib. I. Digeſt. tit. XV. De Officio Præfecti Vigilum repræſento. *Et D. Antoninus* ERYCIO CLARO *reſcripſit. ait enim poſſe eum, horreis effractis, quæſtionem habere de ſeruis cuſtodibus; licet in illis ipſius Imperatoris portio eſſet.* Filium quoque Clarus iſte cognominem habuit SEXT. ERYCIVM, quem Plinius carum; & cuius honores non ſine Patris domuſque totius laudibus, lib. II. epiſt. X. recenſuit. Ego epiſtolam exprimo, & ERYCIANO hoc elogio SYNTAGMA meum claudo. C. PLINIVS APOLLINARI *ſuo S. Anxium me & inquietum habet petitio* SEXTI ERYCII *mei. afficior curâ & quam pro me ſolicitudinem non adii, quaſi pro me altero patior. & alioquin meus pudor, mea exiſtimatio, mea dignitas in diſcrimen adducitur. Ego* SEXTO *Latum clauum a Cæſare noſtro, ego Quæſturam impetraui: meo ſuffragio peruenit ad ius Tribunatus petendi, quem niſi obtinet in Senatu, vereor ne decepiſſe Cæſarem videar. Proinde adnitendum eſt mihi, vt talem eum iudicent omnes, qualem eſſe Princeps mihi credidit. quæ cauſſa, ſi ſtudium meum non incitaret adiutum tamen cuperem iuuenem probiſſimum, eruditiſſimum omni denique laude digniſſimum, & quidem cum totâ domo. Nam Pater eius* ERYCIVS CLARVS, *vir ſanctus, antiquus, diſertus, atque in agendis cauſſis exercitatus, quas ſummâ*

*fide, pari conſtantiâ, nec verecundiâ minori defendit. Habet Auunculum* C. Septitivm, *quo nihil verius, nihil ſimplicius, nihil candidius, nihil fidelius noui. Omnes me certatim, & tamen æqualiter amant: omnibus nunc ego in vno referre gratiam poſſum. Itaque prendo amicos, ſupplico, ambio domos, ſtationésque circumeo: quantúmque vel auctoritate, vel gratiâ valeam, precibus experior. Te quoque obſecro, vt aliquam oneris mei partem ſuſcipere tanti putes. Reddam vicem, ſi repoſces: reddam, & ſi non repoſces. Diligeris, coleris, frequentaris; oſtende modò velle te, nec deerunt qui quod tu velis cupiant. Vale*: & tu quoque mi Lector, cui libero adfectu ſcribo,

—*Et nos aliquod* Nomenqve decvsqve *Geſſimus.*

FINIS.

Ivli

IVLI PARIDIS

# DE NOMINIBVS EPITOME

*Ex Recenſione* STEPHANI PIGHII, qui Valer. max. editionem curavit ex q. plerumque fuit hac epitome.

VARRO ſimplicia in Italiā fuiſſe Nomina ait, exiſtimationisq́. ſuæ argumentum refert; quod Romulus,& Remus.& Fauſtul⁹, neque Prænomen vllum, neque Cognomen habuerunt. Qui ab eo diſſentiunt, aiunt matrem eorum, Ream Siluiam vocatam; auum, Siluium Numitorem; fratrem eius, Amulum Siluium:& ſuperiores Albanorum reges, Capetum Siluium, Agrippam Siluium; poſterioresque duces, Metium Suffetium, & Tutorem Clœlium vocatos. Nec contenti his ad Sabinos tranſgrediuntur, & Titum Tatium, Numam Pompilium; eius denique regionis principes enumerant Putilianum Lauianium, Voleſum Valeſium, Metium Curtiū, Album Funniſillaticum. Ex Tuſcis recitant Lartem Porſennam; ab Æquicolis, Septimum Modium primam regem eorum, & Sertorem Re-

ſium, qui primus ius feciale inſtituit. In hunc modum Varronis ſententia ſubruitur. Romanos autem arbitrandum eſt maximè ab Albanis,& Sabinis multiplicandorum nominum conſuetudinem traxiſſe; quoniam ab illis orti ſunt. Omnia autem, quæ ad vnumquemque noſtrum definiendum excogitata ſunt eamdem vim ſignificandi hominis obtinent. Quod per Proprietatem dicitur, hoc diſtat, quia eo Gens cognoſcitur, ideoque dicitur Gentilitium. Cetera ordine variantur. Nam quod præponitur, Prænomen, quod pòſt fertur, Cognomen; quod ad vltimum adiicitur, Agnomen eſt. Quorum ſeries non ita, vt expoſui, ſemper ſeruata eſt. Animaduerto enim in Conſulum faſtis, perplexum vſum Prænominum & Cognominum: fuiſſe dictum, Poſtumũ Cominium Auruncum, & Poſtumum Æbutium Eluam, & Vopiſcum Iulium, & Opitrem Virginium Tricoſtum,& Paullum Fabium Maximum. Quinetiam quędam Cognomina in Nomen verſa ſunt, vt Cæpio. namque hoc in Bruto Nominis locum obtinuit. Gentilitia nomina Varro putat fuiſſe innumera,& Prænomina circa triginta. Pueris, non priuſquàm togam virilem ſumerent; puellis, non antequàm nuberent, Prænomina imponi moris fuiſſe, Q. Scæuola auctor eſt. Quæ olim Prænomina fuerũt, nunc Cognomina ſunt: vt, Poſtumus, Agrippa, Proculus, Cæſo Opiter, qui patre mortuo, auo viuo gignebatur. Vopiſcus, qui in vtero matris geminus conceptus, altero abortu eiecto, incolumis editus erat. Hoſtus, Prænomen fuit in eo, qui peregrè apud hoſpitem natus

ſus erat; idque habuit Lucretius Tricipitinus collega L. Sergii. Volero, in Prænomen abiit, &c, volentibus naſci liberis, parẽtibus indebatur; quo vſus eſt Publilius Philo. Lar Lartis Prænomen eſt, ſumptum à Laribus. Tuſcum autem creditum eſt Prænomen eſſe: fuitque Conſul Lar Herminius cum T. Virginio Tricoſto. Status, à ſtabilitate; Fauſtus, à fauore Prænomina ſumpta erant. Et Tullus Prænominatus eſt ominis gratiâ, quaſi tollendus, O literâ in V conuersâ. Sertor, qui per ſationem natus erat, appellatus eſt. An cum Prænomen Varro à Sabinis translatum putat: Valerius Antias ſcribit, quòd cubitum vitioſum habuerit, qui Græcè vocatur ἀγκών. Lucii cœperunt appellari, qui in ipſo initio lucis orti erant; aut, vt quidam arbitrantur, à Lucumonibus Etruſcis. Manii, qui manè editi erant; vel ominis cauſsâ, quaſi boni. Manum enim Antiqui bonum dicebant. Gnæus ob inſigne næui appellatus eſt; quod vnum Prænomen variâ ſcripturâ notatur. Alii enim Næum, alii Gnæum, alii Cnæum ſcribunt. Qui G. Litterâ in hoc Prænomine vtuntur, Antiquitatem ſequi videntur, quæ multùm eâ litterâ vſa eſt. Olim enim dicebant frugmentum, nunc frumentum profertur: & gnatura, modò natura Igitur etiam, qui in corporibus næuus gigni ſolet, gnæuus appellabatur. Qui C ponunt, corruptione ſillabæ delectari videntur: qui Næus, lenitatem velle iudicantur. Gaii dicti à gaudio parentum: Auli, qui Diis alentibus naſcuntur: Marci, Martio menſe geniti: Publii, qui prius pupilli facti erant, quàm Prænomina haberent; alii

ominis cauſsâ, ex pube. Tiberii vocitari cœperūt, qui ad Tiberim naſcebantur. Titus, è Sabino nomine Titurio fluxit: Appius, ab Atto eiuſdem regionis Prænomine. Kæſones appellati ſunt, qui ex mortuis matribus exſecti erant. Seruius, qui mortuâ matre in vtero ſeruatus eſt. Spurii, patre incerto geniti, quaſi ἀπάτορες. Numerii ſola Patricia gens vſa eſt Fabia Prænomine; idcirco quòd, trecentis ſex apud Cremeram flumen cæſis, qui vnus ex eâ ſtirpe exſtiterat, ductâ in matrimonium vxore filiâ Numerii Otacilii Maleuentani, ſub eo pacto, vt quem primum filium ſuſtuliſſet, ei materni aui Prænomen imponeret, obtemperauit. Antiquarum mulierum in vſu frequenti Prænomina fuerunt, Rutilla, Cæſella, Rodocella, Murcula; Burra à colore dicta. Iſta Prænomina à viris tracta ſunt, Caia, Lucia, Publia, Numeria. Cæterùm Caia vſu ſuper omnia celebrata eſt. Fertur enim Caiam Cæciliam Tarquinii Priſci regis vxorem optimam lanificam fuiſſe: & ideò inſtitutum eſſe, vt nouæ nuptæ ante ianuam mariti interrogatæ, quænam vocarentur, Caiam eſſe ſe dicerent.

FINIS.

# Index Capitum.

CAPVT I.

*Nominis Elogia, & Munia. ab vtriſque cauſſa ſcriptionis inſinuata.*

CAPVT II.

*Quid Nomen, & quotuplex apud Romanos, reliquasq; Gentes.* ERYCIVS, *Nomen, an Prænomen, Romano iure breuiter diſputatum. Non eodem tempore Nomina atque Prænomina imponi ſolita.*

CAPVT III.

ERYCI *Etymologiam, & Orthographiam partim Cimbricam, partim Græcam, ſiue Latinam eſſe. De Cimbricâ accuratè dictum. Arminii memoria. Noſtra nonnulla Nomina correcta.*

CAPVT IV.

ERYCI *Originatio Græca, ſiue Latina. Videri ab* ERYCE *deduci; vnde Mons, Vrbs, & Venus Erycina. hanc Siculam, atque etiam Romanam fuiſſe. A Diis pleraque Nomina tracta.* ERYX, *Deus.*

## CAPVT V.

*Alia* ἀπὸ τοῦ Ἔρωτος *Deriuatio. Delitiæ quædam Nominum ab eodem Deo.* EROTII *memoria.* ERVCIVS, *&* EROYKIOΣ: *item ratio vtriuſque.* ERVCCIVS, *&* ERVCCIA. ERVCÆ *natura.*

## CAPVT VI.

*Appellatiuè* ERICIVM *inueniri. Cæſar correctus, aut explicatus.* ERICIVS, Ἐχῖνος. ERICE, *frutex.*

## CAPVT VII.

*Apud varias Gentes* ERYCIOS *fuiſſe.* ERYC *Rex Gothorum, Suionúmque. Alius ex iiſdem in Chriſtianos faſtos relatus.* ERYKIOΣ *Poeta.* ERYCIVS *Orator.* ERYCIVS VALENS. ERYCIANVS *Libertus. Item* ERYCIVS CLARVS *Præfectus Vrbis, & bis Conſul. huius memoria breuiter collecta.*

FINIS.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EM.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE